

tebat: tamen adhuc id non feceram, quia neque lenire videbar oratione, neque levare posse dolorem tuum. Postea vero quam magnam spem habere coepi, fore, ut te brevi tempore incolumem haberemus; facere non potui, quin tibi et sententiam et voluntatem declararem meam. Primum igitur scribam, quod intelligo et perspicio, non fore in te Caesarem durio- rem: nam et res eum quotidie, et dies, et opinio hominum, et, ut mihi videtur, etiam sua natura mitiorem facit. Idque cum de reliquis sentio, tum de te etiam audio ex familiarissimis ejus: quibus ego, ex eo tempore, quo primum ex Africa nuntius venit, supplicare una cum fratribus tuis non destiti: quorum quidem et virtus et pietas, et amor in te singularis, et assidua et perpetua cura salutis tuae tantum proficit, ut nihil sit, quod non ipsum Caesarem tributurum existimem. Si tardius fit, quam volumus; magnis occupationibus ejus, a quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt: et simul Africanæ causæ iratior, diutius velle videtur eos habere sollicitos, a quibus se putat diuturnioribus esse molestiis conflictatum; sed hoc ipsum intelligimus eum quotidie remissius et placatius ferre. Quare mihi crede, et memoriae manda, me tibi id adfirmasse, te in istis molestiis diutius non futurum. Cum quid sentirem exposui, quid vellem tua causa, re potius declarabo, quam oratione: et, si tantum possem, quantum in ea republica, de qua ita sum meritus, ut tu existimas, posse debebam, ne tu quidem in istis incommodis esses; eadem enim causa opes meas fregit, quæ tuam salutem in discrimen adduxit. Sed tamen quidquid imago veteris meæ dignitatis, quidquid reliquiae gratiæ valebunt; studium, consilium, opera, gratia, fides mea nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Tu fac habeas fortem animum, quem semper habuisti: primum ob eas causas, quas scripsi, deinde, quod ea de republica semper voluisti atque sensisti, ut non modo cum secunda sperare debeas; sed etiam, si omnia adversa essent, tamen conscientia